



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Quae fugienda Parocho, & quae sectanda. 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

dationibus. Turpissimum putet, nisi causa necessitatis, intrare tabernam; quasi domum non habeat ad edendum & bibendum. Breviter; vitet omnia, quæ Pastoralem auctoritatem aut dedecorant aut imminuunt.

CAP. VII. *Pudicitia servanda*
Parocho.

Detestetur quoque omnem libidinem. Nam oportet Parochium esse pudicum, 1 Timoth. 3. & se præbere exemplum in castitate, 1 Timoth. 4. ne in eum verè dicatur: *Rom. 2.* Qui alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. per quod blasphematur nomen Dei inter gentes. Quo enim vultu fornicarios cælo excludet cum Paulo, qui huic volutabro cœni ipse immersus est? An existimas

1 Cor. 6.
Ephes. 5.
Galat. 5.

(inquit ipse Paulus) ô homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus quippe, quia iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. *Rom. 2.*

CAP. VIII. *Quæ fugienda*
Parocho,
& quæ sectanda.

Denique Paulus ad Timotheum: Iuvenilia, inquit, desideria fuge; sectare vero iustitiam, fidem, spem & charitatem, & pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro. Labora sicut bonus miles Christi. Nemo enim, militans Deo, implicat se negotiis secularibus; & quæ sequuntur. In summa, sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 2 Tim. 2. *2 Tim. 2.*

P A R S S E X T A.

CAP. I. *De disseminatione verbi.*

Hoc ministerium sanctissimus Apostolus cæteris omnibus præfert. Vnde &, Corinthiis scribens, ait: Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. cui & cæteri Apostoli adstipulantur, quum inquirunt: Non est æquum, nos relinquere verbum, & ministrare mensis. Quin imò & Christus aliis anteponit: Euntes, inquit, in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, ac docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Quamobrem Paulus, Timotheum suum excitans, ait: Attende lectioni, attende exhortationi & doctrinæ; noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Hæc meditare; in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ; insta in illis; hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. Et iterum: Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, prædica verbum, insta opportune, importune, ministerium tuum imple.

1 Cor. 1.

Actor. 6.

Marc. 16.

Matth. ult.

1 Tim. 4.

2 Tim. 4.

infigenda est. Speculatorem, inquit, dedi te domui Israël. quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Parochi siquidem sunt, quibus potissimum dictum est: Fratres, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte. Dura est nimis illa Prophetæ lamentatio: Parvuli petierunt panem, & nemo dabat eis. Pasce ergo, fame morientem: si non paveris, occidisti. At homo ex duabus partibus constat, ex carne scilicet & spiritu. Duplici ergo cibo opus est. Nam ut Scriptura ait: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cibus exterior carnem tantum mortalem reficit, &, intrans per os, in ventrem vadit, & in fecesum emititur. Panis autem Spiritus, tam per verbum prædicationis, quam sacramentaliter in veritate Corporis & Sanguinis Dominici, in viva fide comestus, vivificat, reficit, ac vegetat animam; qui non perit, sed permanet in vitam æternam: &, hunc qui ederit, non morietur in æternum. Id quod omnes pii sciunt ac sentiunt. Vivus enim sermo Dei est, & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, ac pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagumque & medullarum. *Jacobi 5.*
Thren. 4.
Matth. 4.
Ioan. 6.
Hebr. 5.

CAP. II. *Quid*
Parocho
meditandum.

Meditabitur Parochus, quid ipsi Dominus per Ezechielem, cap. 3, 33, ac 34, præceperit: parabolaque speculatoris, menti

CAP.